



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Dubium VI. Ad quid teneantur Religiosi ejecti & fugitivi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

Ad quid teneantur Religiosi ejecti & fugitivi.

“Suppono, Religiosum justas ob causas Religio-
 “ne expelli posse; 1. Si in gravi vel pernicioso cri-
 “mine existens, notoriè incorrigibilis appareat: in
 “quo tamen casu, Moniales perpetuo potius carcere
 “mancipandas, quàm ejiciendas, putat *Sanch.*
 “*l. 6. mor. c. 9. n. 3. & 6. 2.* Si ob criminis infami-
 “am, sine gravi Ordinis damno tolerari nequeat. 2.
 “Si in admittance reticuerit impedimentum, vel ef-
 “sentiale, vel saltem admodum grave, v. g. lepram,
 “&c, ut docet *Nav. to 2. l. 3. de reg. consil. 48. Sa V.*
 “*Relig. n. 34. Sanch. n. 5. Azor, to. 1. l. 12. c. 16. q. 3.*
 “Ratio, quia in re admodum gravi deceptus, ita ut
 “fraus dederit causam admittance, v. *Dia. p. 9. t. 9. R.*
 “57. Ubi docet, quòd licet hactenus ex communi
 “sententia *Sanch. Suar. Azor, Rodrig. &c.* Religio-
 “si propter delictum aliquod grave, etiam semel
 “perpetratum potuerint expelli, jam tamen pro-
 “pter declarationem *Vrbani VIII.* editam anno
 “1624. per nulla privilegia possint expelli è Religio-
 “ne, (exceptâ Societate *J E S U*) nisi sint incorrigibi-
 “les; tales autem non censentur, nisi unius anni je-
 “junio & pœnitentiâ in carcere sint probati.
 “Hoc supposito: Resp. I. Professus, è Religione
 “ob culpam ejectus, manet Religiosus, votisque ad-
 “strictus. *Lay. l. 4. t. 5. c. 13. n. 2. ex communi.* Vnde
 “resolvuntur hi Casus:
 “I. Ejectus, rerum, quas acquirit, usum & ad-
 “ministrationem tantùm sibi vindicare potest, non
 “autem dominium: neque illud acquiritur Mona-
 “sterio,

terio, cuius non est membrum amplius, sed Eccle-
 sia, in qua beneficium habet; vel Papæ, si Benefi-
 cium non habet & exemptus est. Quod si autem
 non sit exemptus, Episcopo loci. *Lay. n. 2. & 3.*
ex Mol. & Less.

Dixi, *ejectus*: quia fugitivos & apostatas, iis
 exceptis, quæ ex Beneficio Ecclesiastico accepta
 sunt, Monasterio acquirere verius est, si illud domi-
 nii in communi capax sit: sin minus, Sedi Apostoli-
 cæ. Ratio, quia Monasterium, instar servorum eos
 vindicare & reducere poterat. *Lay. l. c. ex Azor. l. c.*
c. Sylv. & c.

II. *Ejectus* per culpam, non omnino solutus est
 voto obedientiæ, etsi ejus executio magna ex parte
 cesset, quia caret Superiore, à quo dirigatur. Debet
 tamen illud servare in præparatione animi, si reci-
 piatur. *Lay. n. 4 ex Nav. & Less.*

III. Idem à reliquis Monasticis observantiis &
 Regulis, ut à jejuniis, vigiliis, delectu ciborum, &
 similibus liber est. *Lay n. 5. Sa n. 40. Nav. & alii*
contra Less. Sanch & c. Ratio est, quia talium ob-
 servatio non comitatur simpliciter professionem
 votorum substantialium, sed statum Regularem, à
 quo ille est expulsus.

IV. Etsi non sit improbable, quod docent *Navar.*
 & *Azor*, probatque *Rodriguez*, ejectionem tunc ma-
 nere extra suum Ordinem, nec teneri receptionem
 petere, eò quod justæ sententiæ suæ ejectionis se cõ-
 formare possit: contrarium tamen communius est,
 & probabilius. Ratio, quia cum sit obligatus votis,
 tenetur se qualificare, ut vota sua convenienter
 professioni exequi possit: Quæ ratio magis probat,
 si Ordo ipsum revocet. *Lay n. 6. ex Sylv. Sanch.*
 & *Less.*

V. *Ejectus* potest tunc in sæculo manere, si in
 Mona-

"Monasterio non recipiatur; nisi Religionem laxio-
 "rem inire malit, quia aliam non vovit; neque per
 "ipsum (ut suppono) jam stat, quò minus in sua re-
 "cipiatur, Ita *Rodrig. Lay &c loc.c.* Ubi addit, Præ-
 "latos posse aliquem sub conditione ejicere, ut vel
 "aliam Religionem intret, vel ad suam revertatur,
 "imò etiam Ordinarii locorum ejectos ad hoc co-
 "gere possunt. Ratio est, quòd tales non sine peri-
 "culo, & scandalo aliorum in sæculo vivant. *Lay.*
 "n. 8. & 9.

" Resp. II. Prælati Ordinum fugitivos & apostata-
 "tos requirere tenentur, si absque gravi Ordinis da-
 "mino possint, & non omnino incorrigibiles vi-
 "deantur, Ita *Sanch l.c.* Ratio prioris partis est, quia
 "jure divino & naturali tenentur Prælati prospicere
 "eorum salutem. Ratio posterioris est, quia si ob ju-
 "stam causam possint ejici, ob eandem etiam, post-
 "quam malitiosè exiverunt, poterunt non recipi.
 "*Lay. n. 7. ex Sanch &c.*

" Dixi, *fugitivos & apostatas*: quia per senten-
 "tiam justam ejectos, etsi se correxerint, necessariò
 "recipiendos, negant *Sanch. l.c. & Azor. c. 17.* affir-
 "mant. *Nav. Mol. t. 1 d. 140. n. 36. Less. l. 2 c. 41. d.*
 "15. Utrique probabiliter.

" *Quares,* An professus in uno Monasterio possit
 "cogi, ut se transferat ad aliud.

" *Resp.* Possè, si plura Monasteria faciant unum
 "corpus sub uno capite; secus, si singula subsint suis
 "Superioribus sub Episcopo, vel immediatè sub Pa-
 "pa. Ratio, quia non vovit obedientiam, nisi in hoc
 "Conventu, *Laym. n. 10.* Vide etiam *Sanch. l. 7.*
 "*Mor. c. 32.*

A D D E N D A.

199 Q. 31. Quid præterea notandum sit circa ejectos
 & fugitivos. R. seqq. §. I.

§. I. Qui vovit Religionem in genere, si ejiciatur ex una, secundum aliquos tenetur intrare aliam, quia adhuc manet votum Religionis, cui potest satisfacere: Contradicit *Leß.* de just. l. 2. c. 4. d. 15., quia hoc votum Religionis in genere videtur esse extinctum per professionem in hac Religione, omnia enim vota simplicia commutantur in solennia Religionis, secundum dicta n. 7. Quid autem dicendum sit, si talis dimittatur è novitiatu, dictum est n. 183.

§. II. Si quis injustè sit ejectus, Monasterium tenetur illi restituere, quod in ingressu dedit, nam non censetur dare voluisse ita ingratis & injuriosis, aut saltem potest jam donationem revocare, *Leß.* in auct. v. *Illegitimus* cas. 4. n. 13. Si autem quis suâ sponte profugerit, quamvis redeat aut retrahatur, Monasterium non tenetur solvere expensas, quas in absentia fecit, *Sanch. Castrop.* t. 16. d. 4. p. 17. n. 2.

§. III. Religiosus timore pœnæ fugiens è Monasterio cum habitu, si tum prius habitum dimittat, postquam illo privatus est per sententiam Prælati & Capituli, non est excommunicatus, potestque uti habitu Clericali sine dispensatione Papæ, uti habet *Nav.*; potestque Episcopus ei dare novam jurisdictionem (nam jurisdictionem ex vi Religionis acceptam amisit per dimissionem) & ejus operâ uti, *Leß.* v. *Religiosus* cas. 3.

§. IV. Probabilius est cum *Suar.* de Relig. T. 4. l. 3. c. 5. & *Castrop.* p. 21. n. 7. contra *Sanch.*, non esse obligationem recipiendi fagitivos vel apostatas ad eundem gradum honoris, quem habuerunt, quia hic non ita professioni annexus est, quin in pœnam possit tolli. Et quamvis *Inn.* XII. die 24. Julii 1694. decreverit, ut ad honores reciperentur, tamen decretum illud erat limitatum ad sex menses intra alpes, ad annum ultra alpes, & ad tres tantum annos

H

extra

extra Europam, unde nunc elapsum est illud tempus gratiæ.

203 §. V. An ejectus vel fugitivus teneatur ad horas Canonicas, dicitur n. 1191. Cui autem acquiratur & quomodo de acquisitis disponere possit Religiosus inclusus, fugitivus, ejectus, factus Episcopus vel beneficiarius, videri potest apud *Castrop.* d. 3. p. 19., qui d. 4. p. 24. & 25. examinat, an Religiosus factus Episcopus vel Parochus adhuc teneatur votis aut præceptis Religionis; & speciatim de Religioso Societatis JESU facto Episcopo, discurret d. 5. p. 8.

204 §. VI. Circa causas ejiciendi aliquem à Religionē, aut dimittendi à Societate JESU, disputatus à *Castrop.* d. 4. p. 19. & 20. Quas autem pœnas incurrant cooperantes vel juvantes ad fugam, explicat p. 18.

205 Q. 32. *Quandonam fugitivi censeantur apostata. R.*

§. I. Aliqui cum *Suar.* de Relig. T. 4. l. 3. c. 1. putant illum esse apostatam, qui metu carceris, deposito aut etiam retento habitu fugit, etiam cum animo redeundi, postquam erit, v. g. alius Superior, si emanat per longum tempus: sed communis sententia est cum *Sanch* in Decal. l. 6. c. 3. *Castrop.* t. 16. d. 4. p. 16. n. 4. *Lugo* in Resp. Mor. l. 4. dub. 37. ut quis censeatur apostata, requiri dimissionem habitus & desertionem Religionis cum animo non redeundi, unde qui habet animum redeundi est tantum fugitivus, cui fugæ annexa non est jure communi pœna, attamen per depositionem habitus incurritur excommunicatio lata à *Paulo & Pio IV.*, uti habet *Sanch.* n. 11. De pœnis in apostatas latis videri potest *Castrop.* à n. 8.

206 §. II. Si fugias à tua Religione in aliam, *Silv. Cas. Arrag. Bann. Valent. Az. Rodrig. Less.* alii-

quo

que communiter cum *Sanch.* n. 8. dicunt te non esse apostatam, quia non habes animum deficiendi à Religione incommuni, sed tantum commutandi hanc cum tua: *Castrop.* n. 7. licet hanc sententiam vocet probabilissimam, tamen dicit oppositam esse veriore, quia sic recedens à tua Religione es fugitivus, ergo cum ab ea recedas cum animo nunquam redeundi ad illam, es apostata à tua Religione, ergo simpliciter apostata. Adde, quod Pontifices dicant transeuntes à Societate JESU ad alium Ordinem sine licentia, posse puniri tanquam alios apostatas, per quod satis innuunt sic transeuntes ad alium Ordinem, etiam hoc ipso esse apostatas.

Q. 33. Quid notandum sit circa Religiosum, qui dimittit vestem seu habitum sui Ordinis. R. seqq. 207

§. I. Si habitum temerè dimittat, ut sic celet statum & liberius vagetur, peccat mortaliter & incurrit excommunicationem, secundum dicta n. 205. Putat tamen *Sanch.* in Decal. l. 6. c. 8. n. 7. Religiosos Societatis JESU non ideo peccare aut excommunicari, quia non habent certum habitum: sed contradicit *Castrop.* t. 16. d. 4. p. 6., quia proprius illorum habitus est, qui est Clericorum illius regionis.

§. II. Non temerè dimittis habitum, si ideo deponas, ut aptius personam repræsentes in ludo vel recreatione, ut velocior sis, ut nates &c., hæc enim non sunt voluntaria occultatio status, *Nav. Rodrig. Suar. Sanch. Castrop.* Et idem tenent, licet aliæ vestes ad hos effectus induantur: imò etiam si deponas ob finem turpem, v. g. ut voluptuosius forniceris, ut facilius fureris, *Nav. Suar. Sanch.* & alii: intellige tamen, inquit *Castrop.*, si prima intentio sit fornicari aut furari, nam incurreres excommunicationem, si prima intentio fuisset occultare tuum statum. 208

§. III. Licet communior & probabilior sit sententia. 209

tentia incurri excommunicationē, licet retineas habitum tuum, si superinducas sæcularem, & ita occultes Religiosum statum, uti tenent *Sanch.* & alii, cum aliàs facillimè eludi posset lex ejusque finis, qui est, ne quis vagetur &c., tamen *Suar. Sayr Castrop.* & alii, quamvis concedant talem peccatum graviter, probabiliter excusant à censura, & probabile esse fatetur *Sanch.*, quia verba, quæ hìc strictè sunt interpretanda, loquuntur expressè de dimittente habitum.

210 §. IV. Si quis habitum temerè dimitteret per hõram tantum, peccaret tantum venialiter, quia hìc datur parvitas materiæ, uti diximus l. 1. n. 671.

211 §. V. Ille temerè dimittit habitum, qui sine legitima causa dimittit, pro nihilo ducens legis prohibentis violationem: è contra excusaris, si dimittas ob actionem, quæ in proximi salutem cedat & aliter commodè fieri non possit: Item ob vitandum periculum scandali, infamiæ, damni tui aut tuorum, est enim tum rationabilis causa deponendi: nec opus est, ut justitia causæ evidentè constet, sed sufficit probabiliter apparere, *Suar. Sanch. Castrop.*

212 §. VI. In hac lege, quæ juris communis est, nemo nisi Papa dispensare potest; & nequidem adesse debet causa; alii Superiores in dubio de justitia causæ possunt solùm interpretari legem ac declarare, quod eo casu non obliget, *Castrop.* n. 13.

Circa pœnas Religiosi fornicarii, vide *Hann.* de just. T. 6. tr. 2. n. 200. *Purb.* l. 5. t. 16. n. 75. *Pelliz.* T. 2. tr. 9. c. 4. n. 204.

213

C A P U T II.

De Statu Clericorum.

“Clerici generaliter dicuntur illi, qui sacris Ordinibus, vel primâ saltem tonsurâ sunt initiati: